

*Ius*, qui & *Tertullianum* ei comitem addit. Verum non omnino constat an *Tertullianus* vocem hanc non legerit; nam Lib. IV. adversus *Marcionem* Cap. XXV. ubi ad hunc locum respicit Afer ille Theologus, inducit Christum sic loquentem: *dico enim vobis, quia Prophetae non viderunt quae vos videris*. Rectius ergo vir doctus *Methodium* laudasset, ex cujus verbis, cum Cantabrigiensi Codice collatis, intelligere licet non esse vitio memoriae, aut negligentiori citationi tribuendas varietates, quae apud Veteres occurrunt; nisi postquam vidimus Codices nullos antiquos, neque Interpretes ullos veteres iis adstipulari.

Memoriae tribuerim, ea de causa, citationem, quae est apud eundem *Methodium* pag. 112. ubi Lucae Cap. XII, 35. sic exprimit: *οι λυχοι υμων μη σθενυθωσαν, και αι οσφυες υμων μη λυεθωσαν*, cum sit in omnibus Codicibus, *εσωσαν υμων αι οσφυες περιεζωσμεναι η οι λυχοι και ομνητοι*. Eodem retulerim quod habet in vers. sequenti, *ινα ελθοντι η κρεσαντι αυτω ευθεως ανοιξωσι*, pro eo quod legunt omnes Codices: *ινα ελθοντ η κρεσαντ ευθεως ανοιξωσιν αυτω*. Scio esse utrobique nonnullam varietatem, sed exigua est, nec quidquam ad *Methodium* facit.

Versu 49. ubi postquam dixit Christus se venisse ut ignem terrae injiceret, subdit: *και τι θελω ει ηδη ανηφθη* legit *Methodius*, *τι ηθελον*, quid vellem? Nullam similem lectionem, apud *Millium*, video. Pro vulgata lectione stat *Eusebius* in Psalmum XVII.

JOANNIS Cap. III, 8. ubi est *το πνευμα οπε θελη πνει*, habet *Optatus* pag. 38. nam *Spiritus Dei est, et ubi vult adspirat*. Est interpretatio, potius quam accurata citatio.

Similiter expressit sensum, non verba Christi Joan. XIII, 10. *ο λευμενω ε χρεϊαν εχει η στυ ποδας νιψασθαι*, cum habet pag. 73. & 82. *qui semel lotus est non habet necessitatem iterum lavandi*.

Versu 35. pro *γνωσονται παντες*, pari licentia habet: *inde scio quia discipuli mei estis*, pag. 73. Cap. XIV, 6. pro *εγω ειμι η οδος η η αληθεια η η ζωη*, sic Christum loquentem inducit pag. 80. *Ego sum janua, et via, et veritas*. Duo loca conjungit. Vide Joan. X, 9.

Cap. XV, 1. ubi dicit Christus: *εγω ειμι η αμπελη η αληθινη*, subjicit haec *Methodius* pag. 122. *και υμεις τα κληματα*, quod vitio memoriae tribuisset, nisi viderem duos R. *Stephani* Codices sic habuisse; quibus adjungendus fuisset *Methodius*, à *Millio* neglectus.

ROM. I, 21. *εν τοις αλογισμοις αυτων*. Omittit *αυτων Methodius* pag. 211. perperam, si modò ea omissio non sit Librarium.

Cap. IX, 26. *Ου τε θελοντ, εδε τε τρεχοντ, αλλα τε ελεεντ Θεοδ*, vertitur apud *Optatum* pag. 44. *neque volentis, neque currentis, sed ad gratiam Dei pertinentis*, quasi *ελεεντ* esset pro *ελεημεν* *απο θεοδ*. Sed *Optatus* paraphrasi utitur, potius quam verbis, ut alibi; nam consentiunt hic veteres omnes Codices & Interpretes.

Cap. XIII, 7. pro eo quod legimus *τω η φορον, τον φορον τω το τελ, το τελ τω η φορον, τον φορον τω η τιμω, τω τιμω* habet ex memoria *Optatus* pag. 61. *cui honorem, honorem; cui vectigal, vectigal; cui tributum, tributum*.

1. COR. III, 7. ubi habemus *αλλ ο αυξανων Θεοδ*, *Optatus* pag. 89. *sed solus (μον) Deus qui ad incrementum perducit*. Videtur esse glossema *Optati*, ex re ipsa ductum, cum alibi nusquam inveniatur.

Versu 16. *Ναοδ Θεδ εσε, η το πνευμα ε Θεδ οικει εν υμιν*. *Optatus* habet pag. 75. *Vos estis templum Dei, et in vobis Deus habitat*. Ex interpretatione, nam haud aliter ac nos legit *Cyprianus*, neque dissentium ullorum Codicum, Interpretumve hic ullum videmus.

Cap. VI, 20. legimus, *ηγορηθητε ηδ τιμης*. Sed *Optatus* habet, pag. 68. *emti enim estis pretio magno, quasi addendum esset μεγαλης*, quod additamentum habent *Vulgatus* *Interpres*, *Tertullianus*, *Cyprianus* & *Augustinus*, ut notat *Millius*; qui, praeter consuetudinem, etiam *Optati* auctoritatem profert.

Cap. VII, 3. pro *οφειλωμενω ενοϊαν*, habet *Methodius* *οφειλω*, *debitum* pag. 80. quae est lectio plurium Codicum, Patrumque Graecorum & Latinorum, quos recenset *Millius*, sed omisso *Methodio*.

Versu 5. *ινα χολαζητε τη νησεια η περιεσχη*. *Methodius* pag. 81. omittit *τη νησεια και*, quod merito Codices & Patres multi, quibus addendus fuit *Methodius* pag. 81. omittunt. In fine ejusdem versus *αλλ η ακρασιαν υμων*, omittitur ab eodem *υμων*, nec fortè malè, licet non videam Codices ei adsentiri. *Cyprianus* tamen etiam habet *vestram*.

Versu 9. pro *γαμησάτωσαν*, habet *γαμητωσαν* pag. 82. pro *γαμειτωσαν*, ut alii Codices.

Versu 26. habemus: *νομιζω εν τωτο [καλον υποαρχειν, αλλ η ενεσωσαν αναγκω]*, *οτι καλον ανθρωπω το ετως ειναι*. Verba uncinis clausa omittit *Methodius* pag. 85. Fortasse à virginitatis nimio aestimatore, quales multi ab iis temporibus fuerunt, resecta in ejus Codice fuerant. Sed nullus Codex aut *Interpres* ei omissioni favet.

Versu 28. pro *εαν η και γημης*, *Methodius* habet *λαθης*, cum antiquis nonnullis Codicibus, *Vulgato*, & *Hieronymo*, quibus tamen comes à *Millio* non est additus.

Versu 34. pro *μεμελεσαι η γυνη*, *Methodius* pag. 88. habet *και μεμελεσαι και η γυνη*, & post vocem *Κυριε* addit *πωσ αρεση Κυριω*. Vide & pag. 116. Prior varietas est in nonnullis Codicibus, posterior in nullo, quae videtur addita, ut esset *αντιθετον* quoddam postremis versibus, *πωσ αρεση τω ανδρι*, respondens.

Versu 38. pro composito *εργαμιζων* apud *Methodium* bis est simplex *γαμιζων*, nec temerè: multi enim Codices sic habent.

Cap. XIII, 2, 3. ex memoria sensum expressere *Methodius* pag. 249. & *Optatus* pag. 65. Verba non adponam, res enim est manifesta; sed est mira paraphrasis vocum *χαλκωδ ηχηων* in *Optato*, apud quem legimus: *aramentum tinniens in deserto, ut pereat vocis opus, si nullus occurrat auditus*.

2. COR. IX, 6. Addit huic versui perperam, fallente memoria, *Optatus* pag. 35. *qui serit pacem et metet*.

GAL. III, 27. pro *eis Χριστον* habet *Optatus*, in nomine Christi, pag. 89. ex interpretatione, quod idem esse putaret.